



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

esse? etiam voluptas est. Voluptas autem non illa leuis & fugax, & subinde reficienda, sed stabilis & certa. Non enim iucunda res est aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem, & ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Sed ad avaritiæ miserias, à quibus tantisper digressi sumus, reuertamur.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

13. ^a Pereunt enim ^b in afflictione pessimâ: generauit filium, qui in summâ egestate erit.

^a lxx. habent: Et peribunt
^b Alij, in negotio malo, vel negotiatio-
ne malâ

14. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus infirmitas: quo modo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumnâ atque tristitiâ.

METRICA PARAPHRASIS.

QVIS tutus catulos leæ,
Quis partus foueat vipereos sinu,
Quando & quæ peperit perit?
Ecquis tantum animis imperitat furor,

Q

Vt

Vt tam certa pericula
 Complexu teneant exitiabili?
 Est qui diuitis India
 Terrarumque alio Sole calentium
 Congestis opibus miser
 Agris visceribus pectoris incubat,
 Vt quondam Scythici draco
 Luci peruigiles excubias agens.
 Heu frustra! Æsonides freti
 Despectis furis velleræ Colchidis,
 Post dentes chalybum satos,
 Hastarum segetem, & castra virentia,
 Forti diripuit manu.
 Sic quod centuplices munierint seræ,
 Sortis destituet fides,
 Et centumgemino subruet impete.
 Si rem blandior auxerit,
 Crescentem excipiet cura pecuniam.
 Vt vis seua leuunculi
 Terrorem ingeminat dentibus auctior,
 Turgescensque iubis, opum
 Accrescens cumulus sic cumulat metus.
 Non sic vipera morsibus
 Maternos violat lethiferis sinus;
 Vt cura, rabidum genus,
 Morsu tabifico pectora vellicant.
 Quò fors altiùs extulit
 Nixum diuitiis, hoc minùs addeceat
 Rebus fidere prosperis.
 Sortis ludibrius nullus amœnior.
 Aut quò tela regat scopus,
 Quàm quos conspicuos efficiunt opes?

Heu quàm vana crepundia,
 Fortune ambiguis obuia casibus!
 Dum nunc nauifragæ rates
 Apponunt auido diuitias mari:
 Nunc fucata negotiis
 Fraus centuplicibus muscipulas parat:
 Nunc & flamma capacibus
 Stipatas segetes inuolat horreis.
 Si natum genuit parens,
 Dum fors influeret gurgite prospero:
 Hunc post fata miserrimum
 Heredem reflua destituet rei.
 Nudus, pauper & impotens
 Materni ex vteri carcere prodiit:
 Sic nudus referet pedem,
 Nec naulum ex opibus fabula porriget,
 Nec gaze domino breui
 Angustum ad tumulum se comites dabunt.
 O fatum insuperabile!
 O crudele malum, nec medicabile!
 Vt venit fugiet miser,
 Eterno exilio sub tenebras datus.
 Quid prodest igitur labor
 Dispersus zephyris, damnâque noctium,
 Quas nullus tenuit sopor?
 Heu vitæ inferias, mœstaque tædia!
 Heu mersos tenebris dies!
 Non tot silua feras, Hybla parit fauos:
 Non semi arbiter Hadria
 Tot pulsat rabidis littora fluctibus:
 Quot luctus miseros premunt.
 Et cura lamiant pectora diuitum.

*Nec somnus vigilem domat
 Erumnam, aut tenebris longa dies premit ;
 Sed si quando reciditur,
 Se damnis animans hydra repullulat.
 Sic rosum Titij iecur,
 Ut crebro pereat vulnere, non perit.*

PROSA EXEGESIS.

DVPLEX auaritiæ malum his versibus persequitur Ecclesiastes, quod idem paucis hisce verbis complexus est Boëtius:

Boët. lib. 3.
 Metro 3.

*Quamuis fluente diues auri gurgite
 Non expleturas cogat auarus opes ;
 Nec cura mordax deserit superstitem,
 Defunctumque leues non comitantur opes.*

*Diuitia
 perpetuis
 curis ho-
 minem as-
 figunt.*

Auarus, inquit, magno suo malo diuitias conseruat: tum quòd illæ, dum custodiuntur, perpetuis curis, animique cruciatibus materiam suppeditant; tum quia dum per se diffiuunt, aut infelici negotiatione dissipantur, aut denique morientem deserunt, non minùs acerbum doloris vulnus infligunt. Et hoc felicitatem vocant? Quis vnquam felicem existimauit eum, qui aspidem sinu foueret, à quâ lethale vulnus acciperet? aut viperinos fœtus, qui viscera idemtidem morsicando corroderent? Et quid aliud à tot curis nocturnisque vigiliis expectes? nōne omnem succum ac sanguinem exsugunt? nōne pectus continuè pungunt, vellicant, excruciant? O infelicem, qui dies noctesque torquetur propter vilissimas terræ fæces, & caduca fortunæ munera! Parum dixi: ô infelicem, qui nihil animo voluit præter umbras cupiditatum, & vacua habendi simulacra! Quid enim aliud esse dicam Magi-
 fra-